Opoczno Alberti: De Spiritu Sancto theologicae assertiones.

DE SPIRITV SANCTO THEOLOGICÆ ASSERTIONES

Ad mentem Doctoris Subtilis A. R. P. Fr. Ioan: Duns Scoti, publicæ disputationi in Ecclesia Conuentus Cracouiē. Fratrum Minorum de Obseru. in Stradom ad S. BERNARDINVM propositæ.

Defendentur à Fr. ***ALBERTO OPOCZNO*** *Ord: Min: Obseruan. S. Theol: Stud: General.*

PRÆSIDE

A. V. P. Fr. AMBROSIO SNARSKI eiusdem instituti S. Theol: Lectore Generali & Professore actuali. Anno D. 1637. Mense Mart. Die 1 Hora 2 pomeridiana.

CRACOVIÆ,
Typis Martini Philipowski.



Fascia quid cingis? Virtutes colligo pulchras,
Quas gessit semper CZARNKOVIANA domus.
Fascia quid cingis? pugnaces complico gentes,
Vt LVBOMIERSCIA sit Czarnkouiana simul.
Fascia quid cingis? FRANCISCI pulchra corona
Jam CONSTANTIA nunc sum Tibi facta decus.

Perillustri ac Magnifico Domino,

D. FRANCISCO CASIMIRO SANDIVOGIO à CZARNKOW CZARNKOWSKI,

PALATINIDÆ LANCICIENSI,

Capitaneo Medirecensi, &c. &c.

Domino & Benefactori nostro colendissimo.

Fr. ALBERTVS OPOCZNO Ord: Fratrum Minorum S. FRANCISCI Regularis Obseru. S. Theol. Studiosus Generalis à Deo precatur felicitatem.

DVM fratres illum celeberrimum postmodum Patriarchā IOSEPH in Ægypto dominantem adirent, Perillustris ac Magnifice Domine, muneribusq; munificis eum gratulationis ergò honorarent, Beniamin adolescentulus nequaquam ausus est inter primos comparere, sed amore fratris vrgente vocatus non renuit, & licet posterior, non tamen apud dominatorem Ægypti contemptibiliùs est exceptus. Enimuerò Dum ad Tuum festum Nuptiale, Perillustris ac Magnifice Domine, vndiq; tum Magnates Illustrissimi Regni Poloniæ gratulationes, tum Legati Illustrissimorum Senatorum atq; Ducum, nec non Ciuitatum nobiliorum, pretiosa munera, tum Doctissimi Viri Academici, ingenij sui iucundissimam fertilitatem, antiquitate Originum, & laudibus eximiis prædecessorum Tuorum refertam comportarent; nostra Religio, ad instar Beniamin non

est ausa inter tot & tantos comparere, atq; tantopere hospitum frequentiâ occupatum interpellare; Sed amore & gratitudine sua erga Te Fautorem & Benefactorem nostrum incitatur vehementer, & velut Miltiadis Trophæo Themistocles, aliorum exemplis excitatur. Sed velut illa in Euangelio vidua pauper vltima & pauperrimum munus, affectus sui tamen euidens indicium adferre non moratur. Ipsa deniq; rei exigentia postulat, vt de Spiritu sancto ex Subtilis Doctoris speculationibus Mysticas Assertiones desumptas, Tibi dedicemus, Tum quòd lætum Nuptiale festum celebrantibus Spiritum S. inuocare, & de Spiritu S. canere moris est. Tum quòd Illustrißimum Tuum Stemma, siue Fascia blandißima dicatur, siue vinculum fortißimum, siue cinctorium pretiosißimum, siue vnio honestißima, siue vitta fælicißima; Spiritus sancti semper Emblema vel imago dici potest. Siquidem Spiritus S. teste diu. Aug: 6. Trin. Siue sit vnitas amborum, siue sanctitas, siue charitas, manifestum est quòd non aliquis duorum est, quo vterq; coniungitur. Spiritus S. bonitas, Spiritus S. charitas, Spiritus sanctus communicatio. Cum igitur Te Celeberrimæ & eminentißimæ CZARNKOVIÆ Familiæ decus, Tua fælicißima fascia, Illustrißimæ & potenßimæ LVBOMIERSCIÆ domui vinculo amicitiæ consociaret; quid conuenientius quàm Spiritus sancti bonitatē, gratiam, diuinitatem, ac proceßionem continentes Theses, & Tuâ fasciâ colligatas Tibi deberi. Accipe igitur exiguum quidem laborem nostrum, sed omen fælicißimum, & affectum nostrum erga Te promptißimum, qui eundem Spiritum S. vt animos Tantarum Familiarum, indißolubili vinculo gratiæ ac benedictionis suæ munere cōsociet, Teq; in æuū fæliciter durabile, faciat omnibus bonis gaudere, Tuamq; domum stabiliat, & crescere Te in dies maioribus honoribus faciat, fideliter Tibi exoptamus. Vale.

DE

DE SPIRITV SANCTO THEOLOGICÆ ASSERTIONES.

I.

SPIRITVM sanctum ipsum DEVM & non solùm dona eius dari hominibus, est credendum indubitanter. Charitas enim DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis. Qui cum sit inaccessibilis natura, receptibilis tamen propter bonitatem suam nobis est; simplex substantia, sed opulens virtutibus, diuidens dona singulis prout vult.

Quomodo ergo Deus non est qui dat Spiritũ S. imò quantus Deus qui dat Deũ. Aug: 15. Trin.

II.

POtest non incongruè dici, quòd Spiritum S. vt est tertia beatissimæ Trinitatis persona, esse donum sit illi proprium; ita tamen quòd donum dicat proprietatem personalem non

Sicut natum esse est Filio à Patre esse, ita Spiritui S. donum Dei esse, est à Patre Filioq;

procedere Au 4.lib: de Trin.

non ſecundùm principalem ſuam ſignificationem, ſed ſecundùm connotationem ineffabilis ab æterno proceſsionis.

III.

Per donũ quod eſt Spiritus S. multa bona quæ ſunt quibusq; propria diuiduntur. Aug 15. Trin 18.

ESSE quoq; poteſt quòd donum per ſe ſignificet proprietatem perſonalem Spiritus ſancti; ſi nimirum donum accipiatur pro liberaliter producto; hoc enim modo Spiritus S. ab æterno eſt donum Dei. Poteſt quoq; dici Spiritus S. donum, non ſolùm quia donatur hominibus, ſed etiam quia per illum dantur alia dona, quæ communiter Spiritus ſancti dona nuncupantur.

IV.

In ſpiritu Heliæ veniet Lu. 1 Tollam de Spiritu tuo & dabo eis. Nũ: 14.

SPIRITVS S. poteſt vocari donum noſtrũ & ſpiritus noſter, ſecundùm illum reſpectum quem connotat ex ſua proceſsione ad creaturas aptitudinalem, quia per modum doni procedit ab æterno aptus donari creaturis.

V.

Quia & de filio Spiritus S. procedere reperitur, ſed hoc

NON ante procedit Spiritus S. à Patre quã à Filio, neq; plenius vel magis à Patre quàm à Filio. Et ſi ab aliquibus dicitur principa-

cipaliter à Patre procedere, hoc intelligendũ est, inquantùm Pater à se habet vim spiratiuam, filius autem à Patre eandem vim spiratiuam accepit, non autem à se ipso habet: verè enim de substantia Patris per intellectum fæcundum procedenti, essentia Diuina cum omni perfectione communicatur.

quoq; illi pater dedit. Aug. 15. Trin: 25.

VI.

OMnes quidem fateri tenentur, Spiritum S. procedere à Patre, & esse de substantia Patris & Filij, nemo tamen audeat Spiritum S. natum ex vtroq;, vel filium eum esse Patris aut Filij, affirmare. Filius quippe nullus est duorum nisi qui Patrem & Matrem habere asseratur.

Spiritũ S. nec genitum nec ingenitum fides certa declarat. Aug. ad Oros.

VII.

SPIRITVS S. non dicitur sic propriè à spiritualitate & sanctitate, hoc enim modo commune est omnibus tribus personis Diuinis, dici Spiritum, & dici sanctum. Sed dicitur Spiritus sanctus, vt est tertia Persona sanctissimæ TRINITATIS à spiratione passiua quæ est à sancta voluntate Patris & Filij. Et in hoc nomine maximè apparet proprietas eius personalis.

Sed tamen ille Spirtus S. qui non est Trinitas sed in Trinitate, intelligitur in eo quòd propriè dicitur Spiritus S. Aug.: 5. Trin: 2.

Tempo-

VIII.

Quem mittet Pater in nomine meo. Io: 14. Si abiero mittã eum ad vos. Ioan: 16. Me misit Dominus, & Spiritus eius. Esai: 48.

TEmporaliter autẽ Spiritus S. dicitur procedere à Patre & Filio, in quantùm mittitur ad creaturas, qui ob bonitatem suam etiã à se ipso liberè datur & mittitur. Nec inconueniens est asserere, quòd etiam filius mittitur à Spiritu S & à se ipso, & à Patre, quia opera Dei ad extra sunt communia toti indiuiduæ Trinitati.

IX.

Hæc operatio visibiliter expressa & oculis oblata mortalibus, missio Spiritus S. dicta est Aug. 2. Trin: 5.

REctè asserunt qui dicunt Spiritum S. duplici modo mitti ad homines, vno scilicet visibili, altero inuisibili modo, Sicut & vnigenitus Dei visibiliter per incarnationem vnigenitus Virginis factus, missus fuit in mundum; & inuisibiliter sæpius mittitur in hominum pias mentes.

X.

Quid conuenientius quàm vt ille propriè dicatur charitas, qui Spiritus est communis ambobus. Aug: lib: 15. Trin.

AD maiorem autẽ declarationem bonitatis Spiritus S. communiter dicitur Spiritus S. esse amor, seu dilectio, vel charitas. Non est autem vllo modo sentiendum, quòd ita Deus sit charitas, vt præter illum non sit alia charitas creata infusa diuinitus hominibus qua Deus propter se, & proximus propter Deum diligatur.

Potest

XI.

POteſt quidem Deus dici ſpes noſtra, & patientia noſtra, non tamen formaliter, ſed cauſaliter, vel obiectiuè. Sic nimirum & Spiritus S. poteſt dici charitas noſtra appropriatè, ſicut CHRISTVS dicitur appropriatè panis noſter, Redemptor noſter, &c. Non tamen imaginandum eſt, quòd Spiritus S. ſit forma informans noſtram voluntatem.

Dicimus tamē & panem noſtrum da nobis, & Spiritū noſtrum Aug. 19. lib de Trin.

XII.

IN diuinitate infinita non omnia ſunt quæ ſecundùm ſubſtantiam dicuntur, nihil tamen eſt quod ſecundùm accidens dicatur de Deo reale vel de nouo, ſicut & mutari eſt illi impoſsibile. Vnde relationes diuinæ neq; ſunt accidentia Phyſicè, neq; ſunt ſubſtantiæ formaliter.

Nihil in Deo ſecundùm accidens dicitur. Aug: lib: 5 Trin.

XIII.

ALiquo modo aliud eſt eſſe Spiritum S. & eſſe ſanctè ſpiratum. Iſtud enim deſignat per ſe proprietatem perſonalem, connotatiuè verò ipſam perſonam; illud autem per ſe perſonam, connotatiue proprietatem perſonalem. Vnde eſſentia diuina poteſt dici Spiritus S. ſed non poteſt dici ſpirata. Pari ratione nō

Sed quis audeat dicere, aut quòd natura diuina genuit filium, aut quòd ipſa pater non ſit? Mag: Sent. lib. 1. d. 27.

est idem omnino esse patrem & genuisse filiũ; siquidem essentia diuina verè dicitur pater, sed nequaquam potest dici genuisse filium.

DE SPIRITVS SANCTI PRINCIPIO & PROCESSIONE.

I.

Omne agens per se agit propter finem, Arist: 2. Phis. Text: 49.

IN supremo omnium rerum conditore voluntas necessariò concedi debet sub ratione principij productiui amoris infiniti respectu boni infiniti. qui amor cum nequeat esse accidens inhærens sequitur quòd sit per se subsistens; & non idem subsistens cum producente, nihil enim se ipsum producit, igitur est subsistens distinctum personaliter à producente.

II.

Tam genitum quam ingenitũ velle habere condilectum idem videtur quod produce-

ETsi voluntas creata vel communiter sumpta ad creatam & increatam nequeat esse principium communicandi naturam: voluntas tamen Diuina vt est infinita & vt est pro-

ducti-

ductiua amoris infiniti est principium communicandi naturam diuinam amori producto infinito.

re Spiritum S. Aug: 6. Trin. 17.

III.

SImpliciter concedenda necessitas est in actu voluntatis diuinæ & hoc tam in actu essentiali quo diligit se, quàm in actu notionali, quo producit Spiritum S. diligit enim summum bonum, nec potest non diligere infinitè bonum infinitum. Quæ necessitas neq; ex sola voluntate infinita prouenit: neq; ex solo obiecto infinito. Sed ex vtriusq; infinitate.

Necessitas secundùm quam voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur. Aug: 5. de Ciuit. Dei. 10. c.

IV.

VOluntatis diuinæ libertas simul potest stare cum necessitate ad volendum: Sicut & Spiritus sancti productio est necessaria, nec tamen est per modum naturæ sed libera. Vnde naturalitas & necessitas in agendo non sunt idem, naturalitas siquidem cum libertate non stant simul, sicut necessitas & libertas.

Liberior itaq; voluntas est quæ à rectitudine declinare nequit. Anzel. Lib: de Liber. arb. c. 1.

V.

SPiritus sanctus ab æterno producitur simul à Patre & Filio necessariò, necessitate non naturalitatis vel violentiæ aut coactionis, sed necessitate perfectionis; quæ ne minimum quidem

Spiritus S. exit a Patre & Filio non quomodo natus, sed quomodo da-

tus. S. Aug. 5. de Trin: c. 14.

quidem præiudicat libertati diuinæ voluntatis: porro hæc libertas in illa ineffabili voluntate non est ad opposita quæ opponatur necessitati; sed est ad vnum determinatum prout opponitur naturalitati.

VI.

Apparet quod Spiritus S. nõ est Filius, & si exeat à Patre quia exit non quomodo natꝰ sed quomodo datus. S. Aug. 5. de Tri. c. 14.

ETsi certò ac indubitanter tenendum sit Spiritum sanctum de facto ab vtroq; simul procedere, non tamen propter distinctionem eius à Filio ostendẽdam hoc asserere est necesse: sed potiùs propter vnitatem voluntatis; dato & enim quod est impossibile, quòd Spiritus S. non procederet à Filio, adhuc distingueretur realiter ab eo.

VII.

Filius autem, ideo non est Spiritus san. quia Filius nascendo habet esse &c. Anz. de process: Spiritus S. c. 1.

TAlis assertio de distinctione reali, Spiritus S. à Filio, etiamsi per impossibile nõ procederet ab eo, est conformis sanctis Patribus & conciliis statuẽtibus distinctionẽ personarũ per oppositas relationes, non oppositione sola relatiua sed etiam disparata. Si etenim secundùm Magistrum Sententiar. Lib. 1. Dist. 28. Differt Pater à Filio non solùm authoritate generationis, sed differt etiam proprietate innascibilitatis. Cur igitur non licet dicere

cere Spiritum sanctum distingui à Filio, & Filium à Spiritu sancto, non solùm spiratione actiua & passiua, tanquam oppositis relationibus; sed etiam generatione passiua, & spiratione passiua, tanquam relationibus disparatis? vel si secundùm sanctum Augustinum. lib. 5. de Trinitate; Et si Pater non genuisset Filium, nihil prohiberet eũ dici ingenitũ. Igitur à simili & si Spiritus sanctus nõ procederet à Filio, nihil prohiberet eum dici spiratum à Patre, Filiũ autẽ dici genitũ à Patre; per consequens distingui eos realiter productionibus disparatis.

VIII.

MAgis itaq; conuincit Græcos illud, quòd priùs intellectus producit notitiam quã voluntas amorem, & in illa productione notitiæ communicatur Filio natura Diuina cum omni perfectione, consequenter & voluntas vt fæcunda. Coguntur itaq; dicere Græci vel diuersam esse volũtatem in Patre & Eilio, vel si eandem fatentur, necesse est dicant simul ab vtroq; spirari Spiritum sanctum.

Nàm qui proferunt Spiritũ S. distingui à Filio, & cum hoc ex sola persona Patris procedere, hi procul dubio re substantiam ab hypostasi separant. Cõ: Flor. Sess. vltima.

IX.

ADdendum prædictis est, quòd Pater & Filius sint duo spirantes sed vnus spirator, si qui-

Pater & Filius sunt vnũ principium ad SpiritumS. S. Au

5. de Trin: 14. & Con Lug: sub Greg. 10.

ſiquidem ſunt duo ſuppoſita ſpirantia, ſed vnum principium ſpirandi. Spirant autem Spiritum ſanctum voluntate vt vna, non autem vt concordi.

X.

Probatio itaq; conſumatæ charitatis eſt mutua cõmunio exhibitæ ſibi dilectionis. Rich: 3 de Trinit: c. 11

RAtionabile eſt Spirationem actiuam in Patre & Filio eſſe vniformem, quia vnica & eadem numero eſt in vtroq; ; & vterq; æq; perfectè ſpirat & ſimul. Licet Pater à ſe habeat hoc quòd ſpiret; Filius autem non à ſe, ſed à Patre habet quod ſpiret Spritum ſanctū.

XI.

Aug: 5. de Tri. c. 14.

ILla ineffabilis ſpiratio, ſeu proceſsio Spiritus ſancti, non poteſt eſſe vel dici propriè generatio; Filius enim quomodo natus, Spiritus autem ſanctus quomodo datus, non quomodo natus procedit. Nec per modū verbi gignitur, ſed per modum amoris ſpiratur.

XII.

Sic enim videbis quid diſtet Natiuitas verbi à proceſsione doni. S. Aug. 15. Trin: 27.

ALio longè modo diſtinguuntur Spiratio paſsiua, & generatio paſsiua, quàm per terminos productos. Sed neque per hoc præcisè diſtinguuntur, quòd vna productio ſit ab vna perſona, altera à duabus. Neque per

hoc

hoc quòd vna ſit prior quàm alia: Neque per principia productiua: ſed diſtinguuntur ſe ipſis formaliter prædictæ productiones. Circumſcripto enim per impoſsibile quocunque alio, impoſsibile eſt generationem eſſe ſpirationem & è conuerſo.

Authori cæli & terræ, Virginiq; puerperæ
Sit perennis gloria.
Cætui Aligerorum, omniumq; Beatorum;
ſint æterna gaudia.